

1741

4

1. Bastinellus, Gildardus Christianus : De praestantia scientiarum mathematicarum in foro iuriis.
2. Berger, Dr. Gerlachius, &c : De eructione Saxoniae Carolis.
- 2<sup>o</sup> Berger, Dr. Gerlachius, &c : De eructione Saxoniae Carolis.
3. Brokes, Henricus : De iure pecuniae ad remedium  
crestar.
4. Brokes, Henricus : De signore tacito pupillis et tempore  
detulac simpliciter competente.
5. Brokes, Henricus : De penitus nesciarum exactio nem  
responentibus.
6. Brokes, Henricus : De Cicerone iuris civilis teste  
et interprete specialism is primus de oratore  
libro 1 cap 1 - 138.
7. Crotlius, Christoph Lutze : De canticula Socini et quando  
illa sit in aliis?
8. Crotlius, Christoph Lutze : De tutori anecdixis  
et quando rationes tutelae ~~ad~~ reponi nequeant.

- 9<sup>a</sup><sup>b</sup> Cratius, Christph. Luter.: *Nigromantia facti proprii  
interdum invoca.* 2 Preapl.
- 10<sup>a</sup><sup>b</sup> Hanacius, Christianus: *De adlocato ex voluntate  
clientis peripere perlocutioante.* 2 Preapl.
- 11<sup>a</sup><sup>b</sup> Leyser, Augustinus, a: *De obsequiis mortaliis*
- 11<sup>a</sup><sup>b</sup> Leyser, Augustinus, a: *Rodtliche Abhandlung von  
Schuldigkeit vor Ehemaines et al. Frau zu Nien-*
- 11<sup>a</sup><sup>b</sup> Leyser Burlianus
12. Leyser, Augustinus, a: *De contrajunctis et criminis  
confessione.*
13. Leyser, Augustinus, a: *De immunitate tormentorum*
14. Rorarius, Andreas Flores: *De alimentis communis*
15. Rorarius, Andreas Flores: *Thesaurus juris controversi  
secundum ordinem pandectarum 343 - 354.*
- 1742.
1. Bartholaeus, Githard Christianus, 031. juridici ... decan  
nus: *lectori generali s.p. I. (ad disputacionem  
in augustinum Melib. Christianus Meurtri Wacken  
invitat.)*

2. Berolinensis, Gilberto Chorlano : De similitudine iuris.  
Et Tunc quatenus per fons iuris rationem multas  
3. Carpzonius, Frat. Bened: Oratio auspicialis de eo, quod  
in iure praedictis radicum est. . . et tunc  
praecepsum programma de iure praedictis ra-  
turali.
4. Cretius, Christoph Ludo: Legatum liberacionis  
relaxatione spontanea non extingui. . . T. opa-  
fahit.
5. Cretius, Christoph Ludo: Amoris legatum iudea  
voluntate eximatur
- 6<sup>1</sup>. Cretius, Christoph Ludo: Observations de paena  
silentii et conscientiae dicti alieni 2. Exemplis
7. Cretius, Christoph Ludo: De legato tacito et  
implicato, in quo legatarius non numeratus est
8. Cretius, Christoph Ludo: De deposito cum fidei  
commesso ut sit ut res post mortua deponeretur  
tertio restituatur.

- 9a. J. Hassen, Martinus : *No necessitate extremo vitali ad  
conservandae praesidio*
- 10a. Henry, Martinus : *De supremis parentum vestis*  
10b. Hofmanni
11. Leyer, Augustinus, s. : *Qd. iur... Decanus... Le... qu...*
- 11a. *to his saltem (ad Republikum solamentum [Gorgy]*
- 11b. *Matthiae / Rachelii instat)*
12. Leyer, Augustinus: *De restitutione damnatorum*
- 11c. 13. Leyer, Augustinus, s: *De castis speciatione relegatio  
familiis; quoniam cum festigacione conjuncta*
13. *Carmelitique presorum inde aliae effectus*
14. 14a. Leyer, Augustinus, s: *No maleficioi conserto,*
15. *14b. Sclavis confessio*
- 14c. *Leyer, Augustinus, s: De aspiracione pal-  
marum.*
15. Ritter, Joannes Daniel: *Observationis historica*
16. Vakes, Abraham: *Dissertatio i' naug. med'ca, qu  
is' res' vescicatoriorum et formandas febres malignas  
vixit et efficacia testinorium praesentis in morum*

4

Tac autorum et propria experientia confirmatus.

8. Heßler, Jo. Fr. Versus: Commentatio de mechanica  
astronomiae meri sui ad A. photophic articis.  
la que poeticae causas statas

long

miss

alio

cta

bstu

o,


al-

ica

, yu

nes

n







DE  
IGNORANTIA FACTI PROPRII  
INTERDVM INNOCVA

AD L. XXII. PR. D. DE CONDICT. INDEBIT

P R A E S I D E  
**CHRISTOPH. LVDOV. CRELLIO D**  
POTENTISSIMI REGIS POL. ET PR. ELECT  
SAXON. S. R. I. H. T. VICARII, CONSILIARIO AV  
LICO DIGEST. INF. ET NOVI P. P. ORDINARIO  
CVRIAEC PROVINCIALIS ET SCABINATVS ASSESSORE  
ORDINIS IVRIDICI VITEMBERGENSIS  
H. T. DECANO

D. MART. A. Q. S. P. EST. CICCI XXXI

IN AVDITORIO ICTORVM  
DISPV TABIT  
**GEORGIVS FRIDERICVS PECKOLDVS**  
SCHENCKENDEBRIENSIS

VITEMBERGAE  
EX OFFICINA EICHSFELDIANA  
M DCCLVII

55



I

OBLIVIO ET IGNORATIO  
VOLUNTARIA  
IGNORANTIA AFFECTATA



VGETVR aliquando humanae conditionis incommoditas, quod non tantum sensu mali PRAESENTIS, sed PRAETERITORVM etiam subinde memoria et recordatione, perturbamur. Neque enim M. TULLIUS a) mihi persuadere potuit, SVAVEM malorum PRAETERITORVM in quiete memoriam videri. Ipse enim, alio loco b), fugit acerbas RECORDATIONES, quae, quasi mortu quodam, dolorem efficiant, et c) animi curam molestiamque renouare videantur. Quandoquidem enim tunc demum sensu nostrae miseriae attingimur, cum intelligimus, in quas difficultates inciderimus, et in quae retia delapsi sumus,

A 2

- 
- a) Cic. L. II. de Fin. c. 32.  
b) Cic. ad Attic. L. XII. ep. 18.  
c) Id. de Oratore III. 1.

mus, adeoque non magis corpore, quam rerum imagine et cogitatione afficimur ac dolemus; non potest esse obscurum, quod, contemplatione ac memoria, pristinae calamitatis, repetamus incommoda temporis prioris, atque in pilstrinum illud, in quo antea uexati sumus, et quod denuo nobis obiectum quasi oculis cernimus, acerba recordatione retrahamur. Enimuero, qui de malis praeteritis gauisi sunt, non tam de grauitate periculi, et de incommodis suis ac dolore, cogitarunt, quam de magnitudine animi sui, aut de opportunitate, quae ipsis oblata est, ut elaberentur, aut de fama suae uictoriae, qua maximas difficultates superarunt: quae uoluptas tamen ipsa memoria difficultatis aliquantis per diluitur et infirmatur. Ita CAESAR aliquando, quod HIRTIUS a) ait, memoria uictoriae, ad Ziela partae, incredibili laetitia affectus est, non quod in summum periculum illapsus esset, sed, quod maximum bellum tanta celeritate consecisset, et quod facilis uictoria ex diffcillimis rebus accidisset. Quod cum tandem intelligeret M. TULLIUS apud DIONEM CASSIVM b), auocauit animum a contemplatione praeteriti temporis, et hanc solam recordationem malorum in sapiente ferri posse iudicauit, quae nos doceat cauere, ne in easdem infidias, ex quibus aegre clapsi sumus, incuria nostra recidamus.

Imo uero, si TROGVM POMFEIVM c) et CORNELIVM GALLVM d) audiamus, ne iucunditatum quidem prislinarum grata commemoratione uidetur, cum augeat desiderium

a) Hirt. Bell. Alexandrin. c. 77.

b) Dio Cassius L. 44. p. 289 τέτο γάρ τις μέρος τῶν κακῶν ἀπονερο, τὸ μηδὲ αἰδεῖσθαι οὐτοί παθεῖν φυλάχεσθαι.

c) Iustin. L. 32. c. 1.

d) Cornel. Gall. I. fine.

derium felicitatis atque commodorum, quibus careamus, et tanto magis sit molesta, quanto impatientius opportunitatem nobis elapsam requirimus, et quanto grauius plerumque ex rerum uicissitudine dolemus. Quae cum ita essent, idem ille, quem antea appellauit, M. TULLIVS maluit aduersa, quorum recordabatur, quasi perpetua OBLIVIONE obrue-re, a) aut iniurias aliorum VOLUNTARIA quadam OBLI-VIONE conterere, b) et discordiarum memoriam OBLI-VIONE sempiterna delere, c) ut melius gratia et iucunditate temporis praesentis frueretur. Haec est VOLUNTARIA illa OBLIVIO, quam Graeci *ἀμνησίαν* uocant, et gentes liberae plerumque, cum leges pacis perscribuntur, mutuo promittunt, ut ne unquam priorum iniuriarum memoria resuscitetur.

Igitur multi FVGIVNT interdum recordationem prae-teriti temporis, quae uel cum pudore coniuncta sit, uel indignationem mouere possit, uel taedium afferre, uel officiorum admonere, quae propter memoriam pristinae conditionis desiderari posse uideantur. Hoc est, quod illi apud MARONEM d)

Lethaei ad fluminis undam,  
Securos latices et longa OBLIVIA potent.  
Scilicet, IMMEMORES supera ut conuexa reuisant,  
Rursus et incipiant in corpora uelle reuerti.

Hoc consilio Socrates ille apud ARISTOPHANEM<sup>c</sup>), cum ex ipso, utrum memoria ualeret, quaereretur, si quisquam

A 3

fibi

a) Cic. II. de Finibus, c. 32.

b) Id. ad Lentulum I. ep. 9, n. 76.

c) Id. I. Orat. Philipp. I.

d) Virgil. Aen. VI. a. 715. et 750.

e) Aristoph. in Nubib. act. I. sc. 6.

sibi debeat, se satis recordari, si ab ipso debitum antiquum exigatur, OBLIVIOSVM esse et immemorem, respondit

'Ει μὲν γ' ὁ φείλεται μοι, μνήμων πάνυ,  
'Εαν δ' ὁ φείλω χέτλιος, ἐπιλήσμων πάνυ.

Sed, ut diximus, multi serio dant operam, ut quarundam rerum memoria, ex quarum scientia et recordatione uel periculi aliquid, uel incommodi et molestiae, ad ipsos peruenire posset, in animis ipsorum deleatur. VLPIANVS enim l. I. §. I. D. de Act. Empti. in uentionibus fundorum obseruauit, quosdam emptores illud de industria AGERE, ne RECORDENTVR, aut COGNOSCANT, quae seruitutes uicino debeantur: illosque se ipsos decipere VOLUNTARIA et AFFECTATA IGNORATIONE. Alii, qui memoriam non in potestate habent, et quibus iniuitis recordatio prioris temporis subrepit atque obuersatur, cum alia ratione officium et pericula subterfugere non possint, IGNORANTIAM, aut OBLIVIONEM practeriti temporis, uel per mendacium, SIMVLANT, ne pudor ipsorum oneretur

Ita, si PLAVTVM a) audiamus,

Vbi quid faciendum est MULIERI male atque malitiose,

Ea sibi immortalis memoria est meminisse, et sempiterna:

Sin bene quid aut fideliter faciendum est, eo deueniunt,

OBLIVIOSAE ut fiant, MEMINISSE NEQUEANT.  
TAUBMANNVS noster b) illas ideo a Plauto IMMEMORABILI

a) Plaut. in Milit. Glorios. Act. 3. Sc. 3. u. 14.

b) Taubm. ad Plaut. Cistell. Act. 2. Sc. 2. p. 381.

RABILES appellari, ait, quia confestim, utcunque res tulterit, OBLIVIONEM temporis praeteriti comminiscantur. Hic est SIMVLATVS ille atque affectatus error, quem IMPERATORES l. 4. C. de *Incessu et inutili nupt.* accusant, et ab errore VERO atque ACERRIMO sciungunt. Sed hoc consilium mentiendi ne quis foeminis duntaxat accommodatum esse existimet, audiamus virum, apud T E RENTIVM c), qui, se sui ipsius oblitum esse fingit, ne cogatur uera enarrare.

Ita enim ille :

- - Egone ? nescio hercle , neque unde eam,  
neque quorsum eam:

Ita prorsus oblitus sum mei.

## II

ERROR, IGNORANTIA, DVBITATIO,  
QVANDOQVE INFIRMANT NEGOTIA  
IVRE QVIRITIVM  
NON ITEM NATVRALI RATIONE

ACCEPISTI, qua de caussa iuuet interdum, quaedam ignorare, atque obliuisci temporis prioris, ut multi, uel data opera obruant memoriam casuum suorum, uel, si delere non possint, illam certe obtegant, et fingant, se non recte meminisse

Et hoc quidem in illis ferri poterat subinde, qui, quietis sua caussa, cum secum habitant duntaxat, animum a cogitatione aduersitatum OBLIVIONE VOLVNTARIA auertunt, aut, ne in nouas difficultates incidan, omnino malunt quarundam rerum obliuisci, quam aliorum litibus, cum indignatione multorum, immisceri

Sed

---

c) Terent. Eunuch. Act. 2. Sc. 3. v. 13.

Sed haud paullo secius ineunda est ratio, cum IN CONTRAHENDIS NEGOTIIS uersamur. In his enim, cum de alterius DAMNO quaeratur, si rationem naturalem audiamus, nemini debebat ERROR suis aut IGNORANTIA prodesse. Siue enim CULPA non uacat, qui in errorem incidit, nihil tam naturale est, quam ut ex sua quisque NEGLIGENTIA enatam incommoditatem ipse sentiat, et suo periculo discat aliquando cautius mercari; sin evitare hunc errorem, et ueritatem detegere non potuit, ab aliis seductus atque circumuentus, ipse potius feret hunc casum, sui infortunii, quam ut sensum illius in aduersarium, qui et ipse suis incommodis urgetur, transferat, aut cum damno alterius, erroris fortuiti obtentu, fidem pastorum deserat, qua societatis neruus continetur.

Sed, utcunque haec existimata fuerint, illud expeditum est, IURE QVIRITIVM, ERROREM, PROBABLEM in primis, plerumque causam idoneam haberi, ex qua negotium contractum infirmetur. PAPINIANVS enim l. 76. D. de Reg. Iur. in totum omnia, quae ANIMI DESTINATIONE peragenda sint, INVILIA esse praecepit, nisi VERA atque CERTA SCIENTIA perficiantur. Quae res effect, ut non solum, qui falsum aliquid animo per ERROREM conceperint, sed etiam qui DVBITAVERINT de uero, et generaliter, qui ueritatem IGNORAVERINT et non prorsus perspexerint, quam recte rem administrauerint, NIHIL egisse, aut certe ex negotio contracto non teneri, uiderentur. Nihil enim inter ERROREM, IGNORANTIAM, et DVBITATIONEM interest, ubi VERA et CERTA SCIENTIA desideratur. Audiamus PAULLVM atque VLPIANVM, qui l. 14. et 15. D. Qui testam. fac. poss. negant, illos recte testamentum facere, quos constat de statu suo ERRAVISSE, aut INCER-

INCERTOS fuisse atque DVBITASSE; quamvis in illo statu suerint, ut iure testari potuissent. Imo vero iidem ICti etiam alio loco l. 22. l. 32. et l. 34. D. de A. uel Omitt. hered. heredem illum, qui PVTAVERIT, defunctum seruum fuisse, quamvis liber fuisset, uel testatorem uiuere, quamvis defunctus esset, aut qui INCERTVS fuerit et DVBITAVERIT, utrum iure testari potuerit defunctus, quamvis uere eius conditionis fuisset, ut testari potuerit, negauerunt, in illa incertitudine hereditatem adire, aut creditoribus ac legariis omnino obligari potuisse, cum CERTAM SCIENTIAM heredis exigamus

Idem etiam IUSTINIANO placuit, qui l. II. C. de Condict. indebit. et l. 22. §. I. C. de Furt. INCERTOS, ERRANTES, DVBIOS, et IGNORANTES, inter se coniunxit, et eodem iure censendos existimauit, ideoque etiam illud, quod animo DVBIO et ANCIPITI indebitum solutum esset, repeti condicione permisit, quasi per ERROREM ET IGNORANTIAM indebitum solutum esset

Sed hoc quidem iure utimur, inprimis, cum de QVA-SI CONTRACTIBVS cognoscimus, quorum jus et obligatio mera ratione naturali et aequitate continetur. Neque tamen aliud usu uenit, ubi de VERIS CONTRACTIBVS controversia incidit. In omnibus enim negotiis contrahendis, si POMPONIO et IAVOLENO fides est, quoties ERROR aliquis interuenerit, aut per IGNORANTIAM quid administratum fuerit, ut alius aliud sentiat, nihil efficaciter agitur, res omnis perturbatur, l. 55. et 57. D. de Oblig. et act.

Ita enim etiam in EMPTIONIBVS ius dicitur, ut, si uel in corpore, uel in GENERE materiae, et SUBSTANTIA, uel in TITULO fuerit erratum, secundum VLPIANVM PAVLLVM atque GAIUM, l. 34. D. de Acquir. uel. amitt. posseff. l. 9. II. et 14. D. de Contrab. empt. l. 9. §. 3. et 7. D. de

B

A. R. D.

16 DE IGNORANTIA FACTI PROPRII

A. R. D. impune a negotio contracto discedatur. Sed de hoc quidem argumento PRAESES alio loco a) copiosius tractauit: In praesentiarum autem actuum agere non uacat

III

IGNORANTIA CRASSA ET SVPINA

NON PRODEST

IN DISTRAHENDIS NEGOTIIS

SED CULPA IGNORANTIS AESTIMATVR

PRO GRADV DILIGENTIAE

QVI IN QVOVIS NEGOTIO DESIDERATVR

VIDES, magistros artis nostrae indulgentiores suisse, quam uox naturae postulasset, si VENIA ERRORIS peteretur. Tanto diligentius operam dare debuerunt, ne quis, per hanc occasionem, obtentu IGNORANTIAE, impunitatem atque ueniam negligentiae aut fraudis impetraret.

Igitur DVO desiderarunt, ut quis in DISTRAHENDIS atque INFIRMANDIS NEGOTIIS erroris excusatione uti posse uideretur. Primo, ut ERRORE PROBABILO, non CRASSO et SVPINO, lapsus esset, qui IGNORANTIAM obtenderet; deinde, ut appareret, VERE aliquem ERRORE probabili deceptum, non FICTA et AFFECTATA IGNORATIONE. Igitur de utroque capite seorsim uideamus

Et primo quidem admittimus duntaxat PROBABILEM errorem. Ita NERATIVS rem definiuit; qui hunc demum errorem TOLERABILEM putauit, qui PROBABLIS et non supinus esse uideatur. I. §. §. I. D. Profuso. Sed in disputatione ancipite uerfatur, quem maxime errorem PROBABLEM dicamus. Veteres enim obscura circumscriptione usi sunt,

a) Praes de Proprietate rei donatae, ad eum, qui quasi mutuam accepit, transeunte. §. V. sq.

sunt, ut res in medio relicta uideatur, et, nisi per exempla, intelligi uix possit, quid illi senserint de PROBABILI errore

PAPINIANVS quidem l. 55. D. de Aedil. Edic*t.* DISSOLV-TAM IGNORATIONEM repudiat, ut illa excusationem pare-re non possit. Sed SABINV<sup>S</sup> atque CASSIV<sup>S</sup> et POMPO-NIVS l. 3. §. I. D. de Iuris et fact*i* ignor. NON DEPERDITI et NIMIVM SECVRI hominis errorem duntaxat admis-erunt. PAVLLVSETIAM admonuit, non STVLTIS, sed ER-RANTIBVS, succurri. l. 9. §. 5. D. de Iuris et fact*i* ignor. et hanc demum ignorantiam admitti, quae in SVPINVM ho-minem non cadat l. 15. §. I. D. de Contract*t.* Empt.

Vides, rem in loco ambiguo haerere: cum nec VLP-ANVS illam expediat, qui l. 6. D. de I. et f. ign. ignorantiam CRASSAM et SVPINAM et NIMIAM SECVRITA-T EM reprehendit, ut haec illi non sufficiat, qui negoti-um, obtentu ignorantiae, retrahet. Neque AFRICANVS rem impeditam extricavit, dum damnat errorem atque ignorantiam, cuius quis IVSTAM CAVSAM NON HABERE uideatur. l. II. D. Pro Empt.

Sed ausim affirmare, NATVRAM NEGOTII inprimis ac-stimandam esse, in quo quis ERRORE ET IGNORANTIA se de-ceptum esse conqueratur: Ut, si error in CONTRACTV ob-uenerit, in quo diligenta maxima desideretur, hic demum error PROBABILIS ET TOLERANDVS dici possit, qui surrep-serit inuito, et curiosissime inuestiganti, ut ne CVLPA qui-dem LEVISSIMA errantis accusari posse uideatur: Con-tra, in quibus negotiis DILIGENTIAM ORDINARIAM, ut in plerisque, exigimus, quae cum boni patrisfamilias officio coniuncta sit, in his inuestigationem quidem, sed non scrupulosam et nimis sollicitam, desideremus, ut IGNORANTIAE excusatio locum inuenire possit

Igitur in aliis atque aliis negotiis, alias atque alias

error PROBABLIS dicerur, pro gradu diligentiae, ad quem in quolibet negotio contrahentes obstringuntur. Ita enim ut sentiam, illud me inprimis mouet, quod illam IGNORANTIAM ueteres, quam STVLTAM atque CRASSAM et DISSOLVTAM AC SVPINAM appellantur, cum gradu quodam NEGLIGENTIAE plerumque coniunxerunt: ut intelligatur, IGNORANTIAM, pro gradu CULPAE ET NEGLIGENTIAE in quoquis negotio admissee, aestimari. Ne quis locus dubitationi relinquatur, audiamus VLPIANVM, qui l. 6. D. de Iuris et fact. ignor. SCIENTIAM hoc modo aestimandam esse, ait, ut nec NEGLIGENTIA crassa, nec nimia securitas expedita sit, neque DELATORIA CVRIOSETAS omnino exigatur. Imo uero apertius atque luculentius omnino PAVLLVS noster, l. 9. §. 2. D. eod. tunc non ferendam esse ait ignorantiam, si erranti SVMMA NEGLIGENTIA obiciatur: et recte LABEO scientiam neque CVRIOSSIIMI hominis, neque NEGLIGENTISSIMI accipiendam esse, censuit, sed eius, qui eam rem, DILIGENTER inquirendo, inuestigare potuisse.

Igitur apparet, ex GRADV NEGLIGENTIAE constitui, utrum IGNORANTIA errantis ferenda esse uideatur. Sed GRADVS DILIGENTIAE cum in aliis negotiis alium omnino exigamus, non potest esse obscurum, PRO NATURA NEGOTII alium atque alium errorem excusatione dignum et PROBABILEM haberi.

Ne quis exempla desideret in re manifesta, obseruabo pataca, in quibus, pro GRADV NEGLIGENTIAE ipsi etiam GRADVS IGNORANTIAE constituuntur. Opportune occurrit MARCIANVS, qui l. II. D. de Incend. et Ruin. tunc demum excusat IGNORANTIAM illius, in cuius aedibus incendium factum esset, si non tam LATÆ EIVS CULPA fuerit, ut luxuriae aut dolo comparetur.

Eadem

Eandem rationem CONSTANTINVS l. i. C. de *Falsa Moneta*. sequitur, in illis iudicandis, qui IGNORANTIAM obtendunt, et se sciuisse negant, quod in aedibus suis falsa moneta euderetur. Ait enim, INCVRIAM ET NEGLIGENTIAM illius puniendam esse, qui cum in proximo habitaret, ignorauerit, quid malae rei in suis aedibus administraetur. Ipse etiam VLPIANVS, alio loco, IGNORANTIAM cum CVLPA comparauit, et negligentiam appellauit, cum quis illud ignoret, et non intelligat, quod omnes intelligere et scire uideantur l. 213. §. 2. D. de *Verb. signif.* ideoque etiam tutores teneri censuit, si, per IGNORANTIAM LATAMQUE NEGLIGENTIAM non bonami conditionem in coemendis praediis elegerint; cum in hac parte de lata culpa teneantur l. 7. §. 2. D. de *Administ. tut.* Itaque disputatione non indiget, in diuersis negotiis alium atque alium errorem excusatione dignum et probabilem censeri. Quae cum ita sint, necesse est, Iurisconsultos interdum, in uenia ERRORI danda, difficiliores esse, et aegrius IGNORANTIAE excusationem admittere, si quid in illis negotiis, quae DILIGENTER atque CIRCVMSPECTE administranda sunt, per IGNORANTIAM peccatum esse uidetur. Ita certe de iure SPONSALIORVM iudicamus, ut non facile SPONSVM audiamus, qui ERRORE ET IGNORANTIA se deceptum esse ait, cum conditionem eligeret, qua scire potuerat, se, postquam negotium semel contractum fuerit, perpetuo usurum esse. Debuisses enim illam, quam petebas, etiam atque etiam adspicere, quod Poeta ait, a)

ne mox

Incurerent aliena tibi peccata pudorem.

PRAESES<sup>e</sup> recordatur, ICTIS VITEMBERGENSIEBV<sup>s</sup> a *Con-*  
*sistorio*

B 3

a) Horat. l. epist. 18. v. 77.

*sistorio Magdeburg.* M. Maio A. cīcīcīccxxxii. eiusmodi speciem oblatam, cum maritus, cui cum uxore sua pessime conueniebat, se, per **ERROREM**, uxorem pessimam duxisse quereretur. Apparebat, uxorem eius, priusquam ab ipso duceretur, uitam turpissimam egisse: illam aliquando, abruptam et accensam amore cuiusdam iuuenculi, quiescere non potuisse, sed, quasi furis quibusdam agitatam, cum se iuuene, quem penitus deperibat, potiri posse desperaret, uestris depositis, nudam se in flumen coniecissem, ut extinctis illis faculis suffocaretur: sed, magna hominum turba confluenta, extractam a piscatoribus, uitaeque restitutam, inter ciues ignominiosam cum magno opprobrio uixisse. Maritus, se haec **IGNORASSE**, a nemine admonitum suisse, sed capitum atque irretitum blanditiis puellae, intra biduum, nemine consulto, in conditionem nuptiarum consensisse, deceptum esse ignorantia, nihil ratum esse illorum, quae per errorem gesta sint, nuptias omnino nullas esse, clamitabat, fidem deorum atque hominum, ut hac ipsum peste libarent, inuocabat. Responsum est, secundum ea, quae proporenrentur, petitioni eius locum non futurum: Rem, priusquam contraheret negotium, diligentius inuestigari debuisse: rem, quae omnibus nota esset, sciscitando cognosci potuisse: non allegari posse ignorantiam hominis deperditi et dissoluti, qui in re ardua negligentissime uersatus sit, et, quod **VLPIANVS** ait, l. 213. §. 2. *D. de R. Iur.* non intellexerit, quod in ciuitate omnes, et tonsores etiam, intelligebant

## III

## IGNORANTIA FACTI PROPRII

PLERVMQVE CRASSA ET AFFECTATA EST

IDEOQVE STOLIDITATI COMPARATVR

**E**x his, quae adhuc disputata sunt, intelligetur, duo requiri, ut excusatio **ERRORIS** et **IGNORANTIAE** admitti possit:

possit: alterum, ut ne **SUPINA** sit ignorantia, sed probabili, et quae **CULPA** carere uideatur, alterum, ut demonstretur, **VERA** ignorantia, non facta atque simulata, aut voluntaria ignoratione, ab illo peccatum esse, qui de errore suo cum altero controuersiam exercet. Sed de hoc postremo capite deinceps locus erit exponendi.

Sed **IGNORANTIA** et **OBLIVIO FACTI PROPRIETATIS** nec **TOLERABILIS** uidetur, cum saepissime cum **CULPA** et **DISSOLVTA NEGLIGENTIA** coniuncta sit, et plerumque **FICTA** atque **AFFECTATA** est, ut probari facile non possit illa excusatio, sed suspicionem pariat, **IGNORANTIA FACTI PROPRIETATIS** per mendacium obtendi.

Et primo quidem, quanto quisque facilius secum habere potest, et in se descendere, et, quid rei gerat, obseruare, quanto altius animo et memoriae infiguntur, quae nos proxime attingunt, quanto rarius illarum rerum obliuisci mus, quae nos uiuidius et uehementius afficiunt, tanto minus excusationem inuenire potest, qui sui ipsius fere oblitus sit, et quae ab ipso administrata sint, memoria et recordatione repeterere non possit. Quandoquidem enim, quae ab homine sano et intelligenti perficienda sunt, cum circumspectione quadam et deliberatione animi suscipiuntur; quis credet homini, qui non truncus esse uideatur, confessim omnia, quae animo comprehensa, atque a uoluntate decreta sunt, quae contentionem neruorum, motuum muscularum, mentis et corporis laborem aliquem desiderarunt, totum denique hominem sensu praefentissimo et certo attigerunt, ex animo elabi, ut uestigium sui prorsus non relinquant, et perpetua **OBLIVIONE** deleantur.

Enimuero parum a **STOLIDITATE** et **FATVITATIS** opprobrio abesse iudicatur, qui sui ipsius et **FACTI PROPRIETATIS** memo-

memoriam deposuisse uideatur. Hoc M. TULLIO a) in mentem uenit, qui senem OBLIVIOSVM aliquando STVLTVM appellauit, STVLTOSQVE ET OBLIVIOSOS inter se coniunxit, cum quis non facile OBLIVIOSVS esse possit, quem non satuum et STVLTVM possimus appellare

Audiamus C. Valerium CATULLVM b), qui stultissimum municipem suum hoc in primis argumento STVLTITIAE accusat, quod sui ipsius et rerum suarum penitus obliuiscatur. Ita enim ille ad Coloniam suam:

Quendam municipem meum de tuo uolo ponte  
Ire praecipitem in lutum, per caput pedesque:  
Verum totius ut lacus putidaeque paludis  
Liuidissima maximeque est profunda uorago.  
INSVLSSI MMVS est homo, nec sapit pueri instar  
Bimuli, tremula patris dormientis in ulna.  
Nec se subleuat ex sua parte, sed uelut alnus  
In fossa liguri iacet supernata securi.

Tantudem omnia SENTIENS quam si nihil sit  
unquam,  
Talis iste meus STVPOR, NIL VIDET, NIHIL  
AVDIT

IPSE QVIS SIT, VTRVM SIT, AN NON SIT, ID  
QVOQUE NESCIT

Nunc eum uolo de tuo ponte mittere primum,  
Si pote stolidum repente excitare ueternum,  
Et SVPINVM animum in graui derelinquere coeno:  
Ferream ut soleam tenaci in uoragine mula.

Vides, quae uota conceperit CATULLVS noster pro insulfissimo municipi, qui rerum suarum OBLIVISCI uidebatur. Enimuero etiam SCAEVOLA admonuit, omnino omnes,

a) Cic. de Senectut. c. 11. et 18.

b) Catull. epigr. ad Coloniam.

omnes, qui non despiant, aut deperditi sint ac dissoluti, etiam in ultimis uoluntatibus, eorum NON prorius IM-MEMORES futuros, quae uiui tempore superiori, quamuis ante annos plurimos, administrassent, l. 31. pr. D. de Adimend. et transfer. leg. Neque enim, qui FACTVM PRO-PRIVM IGNORANT, longo discrimine ab his seiuncti sunt, qui SVI NOMINIS obliuiscuntur: quos IUSTINI-ANVS homines SVPINOS atque stultos et CRASSA excu-satione usos, arbitratur. l. 14. C. de Hered. Infit.

Enimuero, si rationem audiamus, per SVM MAM illa NEGLIGENTIAM administrata esse oportet, quorum quis conseruit, quamvis ipse ea perfecerit, obliuiscatur. Si quis enim illorum non meminerit, quorum omnes recordan-tur, si quis sui ipsius oblitus esse uideatur, per CVLPAM LATISSIMAM, quod VLPIANVS ait, l. 213. §. 2. D. V. Signif. et per dissolutam NEGLIGENTIAM peccauit. Sed M. TULLIVS a) auctor est, omnem SVPINAM negligen-tiam cum stupore aliquo coniunctam esse, et inertiam ac FATVITATEM nominari. Hoc uidetur VLPIANO in-mentem uenisse, qui, alio loco, illorum SEGNITIEM ru-sticitatem, inertiam, simplicitatem, INEPTIAM accusat, qui culpa latiori, et supina NEGLIGENTIA, promeriti fuerint, ut a munere tutelae arcerentur. l. 3. §. 18. D. de suspect. tut.

Igitur apparet, plerumque uel despere, uel FATVVM et INEPTVM esse, b) qui, SVPINA NEGLIGENTIA, fa-clum proprium ignoret. Sed opportune PAVLLVS, item que SEVERVS atque ANTONIVS monuerunt, non STVL-TIS, sed ERRANTIBVS succurri, l. 9. §. 5. D. de Iuris et fact. ignor.

C

Quando-

a) Cic. II. de inuent. 192.

b) Vid. V. C. Gerhardt. Nood. L. I. Probabil. c. ult.

Quandoquidem igitur **SUPINAM** negligentiam in nullo negotio ferimus, sed, qui per hanc peccauit, illum damnam suae negligentiae sentire patimur; non eget disputatio-ne, facti proprii obliuionem nunquam fere probabilem ui-deri, aut excusationem idoneam parere, ut erranti succurra-tur. Ita enim nisi sentiremus, facile fuerit cuius, negotia tantum non omnia peruertere et infirmare. Luculenter et generaliter **IUSTINIANVS** l. 12. C. de *Contrab. stipul.* quemlibet, quae aliis promiserit, **MEMORIA SERVARE** iussit, ne, obtentu **IGNORANTIAE**, fides pactorum dissoluatur: cum nemo postulare possit, ut sui officii ab aliis **ADMONEATVR**. Hoc **PAVLVS** intellexit, qui l. 3. §. 19. D. de *Adquir. uel amitt. poss.* a ueteribus praceptum esse docet, sibi ipsi neminem, causam possessionis, ne quidem obtentu **IGNO-RANTIAE**, et quasi **OBLITVS** esset prioris tituli, mutare pos-se. Ideoque, si eundem **PAVLVM** audiamus, ad usuca-pionem non sufficiet, si quis in ea **OPINIONE** sit, ut put-tet, se ab aliis emisse, quod non emit; sed subesse debet uera causa emptioris: cum factum suum nemo possit igno-rare. l. 2. pr. D. *pro Emptor.* et l. 1. D. *pro Donat.*

Vides propter maximum odium et turpidinem **SUPINAE NEGLIGENTIAE**, illum non facile audiri, qui **IGNO-RANTIAM** facti proprii alleget. Imo uero si etiam subinde audiendus esse uidetur, res certe in ambiguum difficilem-que disputationem adduceretur, annon, per mendacium, **OBLIVIONEM FACTI PROPRII** alleget. Recte enim **IACOBVS MENOCHIVS** a) obseruat, desiderari **APERTISSIMAS PROBATIONES**, si quis uelit sibi propter **IGNORANTIAM** succurri. Sed **IUSTINIANVS**, ut supra obseruatum est, non praesumi hanc stoliditatem, ait, neque iudicem sibi persuadere posse, quod aliquis tam **STVLTUS** fuerit, ut no-men aut factum suum ignoraret

Ita

a) Menoch. T. V. Conf. 410. n. 23. et Conf. 454. n. 7. et. 8.

Ita quidem I CTIS VITEMBERGENSIBVS uisum est,  
cum ante aliquot annos talis species proponeretur. Iauolen-  
nus aduersus Africanum ex cambio agebat, quod ipse, tan-  
quam correus debendi, subscriptissime, dicebatur. Africanus  
negabat, se cambium omnino subscriptissime, et iurare etiam  
paratus erat: nostri IVRAMENTVM DIFFESSIONIS appellare  
solent. Iauolenus replicabat: Africanum, datis ad se lit-  
teris, confessum esse, quod cambium subscripterit, PRO-  
LONGATIONEM etiam, quam uocant, seu laxamentum  
temporis, sibi dari postulasse, solutionem promisisse. Reus  
agnoscet litteras, quibus debitum confessus erat; sed il-  
las PER ERROREM a se datas esse obtendebat: se per uaria  
negotia distractum, in illa opinione fuisse, ut putaret, se  
correum debendi esse, et cambium omnino subscriptissime:  
Iam uero, re penitus perspecta, se paratum esse ad iuran-  
dum. Responsum est: non idoneam uideri excusationem  
IGNORANTIAE, quum quilibet quid debeat, MEMORIA  
SERVARE iubeatur.

Daß Beklagtens Principal zu der angebothenen eydlichen Diffession des fol. 3<sup>b</sup>. Vol. I. in Abschrift befindl.  
Wechsels nicht zu lassen, sondern, dieweil Beklagter die Documenta sub B. C. und D recognosciret, So ist derselbe  
die libellirte Wechsel- Post in denen verschriebenen Münz-  
Sorten, nebst dem Interesse morae, von der Verfall Zeit an,  
auch allen verursachten Schäden und Urfosten, Klägern zu  
bezahlen schuldig. Res erit luculentior ex rationibus adie-  
ctis: Dieweil Beklagter, in dem fol. 4. befindlichem Brieße,  
daß Er Klägers 1000. Thlr. nebst N. asscuriret, und in ab-  
gewichener Michaelis-Messe zu bezahlen schuldig, eingeräu-  
met, hienachst fol. 30. daß er in angeregtem Schreiben sich  
zu der libellirten Wechsel-Schuld bekannt, und Klägern vor  
seinen Wechsel-Gläubiger auf 1000. Thlr. hoch agnosciret  
habe, zugestehen müssen, dahingegen der vorgeschügte Irrthum  
Beklagtem hierbei nicht zu statten kommen mag, in mehrerer

Erwegung die ignorantia facti proprii, nach klarer Verordnung derer Rechte,

l. 7. D. ad SCt. Vellei.

l. 14. C. de Hered. Instit.

keine restitutionem wircket, wenigstens diese Aueflucht also, daß sie wieder klare Brieff und Siegel in processu executiuo attendiret werden könnte, nicht qualificiret, So ist, gesprochener Maassen, billig erkannt, Africanus quidem querebatur, STOLIDITATEM sibi ex l. 14. C. de Hered. Instit. obiectam esse, quam parcus uiris, in dignitate non exigua constitutis, obiciendam meminisse deberemus. Sed iussimus ipsum cum Imperatore conqueri, qui facta, non dignitatem personarum, accusarit

## V

ETIAM IN DAMNIS VITANDIS

NON SEMPER PRODEST

FACTI PROPRII IGNORANTIA.

INTERDV M TAMEN TOLERATVR.

**S**ATIS, credo, comprobatum fuit, IGNORANTIAM FACTI PROPRII plerumque cum stoliditate quadam et SVMMA NEGLIGENTIA coniunctam esse; sed errores ex NEGLIGENTIA contractos non parere omnino excusationem, in illis negotiis, in quibus GRADVS QVIDAM DILIGENTIAE desideretur. Sed me non fugit, multos oblivionem facti proprii errantibus ignoscere subinde, si de DAMNIS VITANDIS, aut de elidendo PERICULO AMITTENDAE REI SVAE, LABORARE uideantur. Hoc enim intelligo non solum MENOCHIO, a) sed etiam CARPZOVIO, b) et aliis non paucis, placuisse. Plerique fidem PAPINIANI innocant, qui l. 8. de Iuris

et

a) Menoch. T. I. Conf. 91. n. 51. sq. Id. Tom. VII. Conf. 706. n. 19.

b) Carpz. Iurispr. Forens. P. II. Constat. 28. def. 21. n. 5.

*et fact. ignorant. etiam ignorantiam iuris, quod nemo sine turpitudine ignorat, IN DAMNIS AMITTENDAE REI SVAE, nemini nocere arbitratur. Neque enim uidetur caussa idonea subesse, cur in illis caussis, in quibus ne iuris quidem ignorantia nocere possit, DAMNO illum afficer uelimus, qui FACTI PROPRII, et sui ipsius, oblitus esse uideatur*

Verum enim uero, non uidentur rem acu tetigisse, qui GENERALITER, IN DAMNIS AMITTENDAE REI EVITANDIS, credunt FACTI PROPRII OBLIVIONEM erranti non nocere. Primo enim a iuris ignorantia, ad FACTI PROPRII obliuionem non satis expedite ducemus argumentum. ILLA quidem certe, propter subtilitatem artis nostrae, quandoque ueniam meretur: HATC plerumque ex FATVITATE, et SVMMA NEGLIGENTIA enascitur, quam in contrahendis negotiis non ferri posse, supra est a nobis comprobatum

Deinde, ipsam regulam PAPINIANI ne quidem in iuris ignorantia GENERALITFR accipiemus, ut illa IN DAMNIS VITANDIS non nocere uideatur. Neque enim satis expeditum est, quando quis dici possit duntaxat de DAMNO VITANDO laborare, quamuis multa in illam partem disputata sint a DESIDERIO HERALDO. a) Plerumque enim, etiam dum lucrum et ius quaeſitum nobis extorquetur, quod certe ad nos pertinere arbitrati sumus, cuius cauſa ſpes longas inchoauimus, cuius cogitatione res noſtras liberalius et ſumptuosius ordinauimus, dampnum aliquod timemus, quod uitari posſet, si lucrum illud nobis relinqueretur. Deinde, etiamſi quis de damno amittendae rei ſuae laborauerit, ignorantiae obtentu, certe etiam aduersarius, a quo rem noſtram ſupina ignorantia amiffam repetimus, DAMNO non caret, ſi illam nobis reddere omnino iubetur.

C 3

tur.

a) Delid. Heraldus Obſeruat. c. 35. apud Otton. in Thesl. Iur. T. II. p. 1356.

tur. Sed scimus, in pari caussa PRO POSSESSORE iudicari. Denique, qui, DAMNI VITANDI caussa, FACTI SVI ignorantiam allegat, propter suminam negligentiam, ne sentire quidem damnum hoc uidebitur: in quod omnino sua culpa, illaque maxima et prorsus NON TOLERABILI, incurrit. Ita enim POMPONIUS praecepit. l. 203. D. de Reg. Iur.

His igitur caassis moueor, ut credam, etiam in DAMNIS VITANDIS, et cum de PERICVL O AMITTENDAE REI NOSTRAE agitur, FACTI SVI ignorantiam errantibus nocere. Ne longius quaequieris exempla, IUSTINIANVM audiamus, qui l. 12. C. de Contrab. et Com. mit. Stipul. etiam si poena, stipulatione comprehensa, propter moram commissa fuerit, negavit, debitori ignorantiam debiti sui et obliuionem facti proprii prodesse, sed ipsum efficaciter de poena, conueniri affirmauit. Imo uero PAULLVS l. 12. D. de Nouat. praecepit, aduersus credito-rem alterius non dari repetitionem indebiti, si quis per IGNORANTIAM FACTI PROPRII, a debitore, cui ipse non obligatus erat, se delegari passus sit; cum creditor SVVM confequatur. Ex quibus locis appetet, etiam in DAMNIS et POENIS euitandis, aut cum INDEBITVM repetitur, non pro-miscue errantibus, propter FACTI PROPRII IGNORANTIAM, succurri

## VI

TOLERATVR IGNORANTIA  
FACTI PROPRII  
SI DE DOLO ADVERSARI AGATVR  
AVT SI SVSPICIO NEGLIGENTIAE  
ELIDI POSSIT.

**Q**VID igitur dicemus? An prorsus IGNORANTIAM FACTI PROPRII omnemque OBLIVIONEM temporis praeteriti damnabimus, cum illa ne quidem in DAMNIS euitandis promiscue prodesse uideatur

Nimi-

Nimirum ita sentio, non aliter de OBLIVIONE FACTI PROPRII, quam de reliquis generibus IGNORANTIAE et ERRORIS, iudicandum esse. Sed de his quidem supra §pho III a nobis comprobatum est, aestimandum esse gradum NEGLIGENTIAE, ex qua error et ignorantia enascantur, ut, si gradus ille CULPAE, qui, pro natura cuiusque negotii, in quo quis contractu praestans est, elidi possit, tunc IGNORANTIBVS ERRANTIBVSQUE succurramus. Cum enim ipsa IGNORANTIA species quaedam CULPAE, et cum quadam NEGLIGENTIA coniuncta sit; non erit ratio idonea, cur aliter de GRADIBVS IGNORANTIAE, ac de ipsis GRADIBVS CULPARIUM iudicemus. Sed FACTI PROPRII OBLIVIO, quod copiose demonstrauimus, plerumque argumentum est SVPINAE NEGLIGENTIAE, et CULPAE, quam solemus LATAM appellare. Igitur in illis negotiis admittetur IGNORANTIAE illius excusatio, in quibus ne LATA quidem CULPA accusari possit, ut, si de DOLO aduersarii tractetur. Hic enim, qui in DOLO uersabitur, CULPAM nostram accusare non poterit, per quam ab ipso decepti sumus, et in periculum adducti. Quanquam enim non ignoro, non multum a DOLO abesse SVPINAM negligentiam, et, in caussa dubia, PRO POSSESSORE litem iudicari; tamen minus certe illi fauebimus, qui ex dolo suo, cum damno aduersarii, sit factus locupletior, quam huic IGNORANTI, qui suum repetit, quod per supinam negligentiam suam, et per dolum aduersarii amisit. Hoc igitur casu demum recte dicimus IGNORANTIAM FACTI PROPRIITATI nobis non nocere; cum de DAMNIS VITANDIS agitur, si nempe nobis controversia fuerit cum altero, quem appareat, in DOLO aut lata culpa uersari, aut cum damno nostro et iniuria locupletiorem factum esse.

Vt

Vt intelligatur, ita fere etiam ueteres sentisse, eamus per exempla.

Et primo quidem audiamus POMPONIVM, qui l. 22. pr. D. de Condict. indeb. hanc speciem proponit: Tullius Tertulliano decem sestertia exsoluit, quia PER IGNORANTIAM FACTI PROPRII, PVTAVIT, se Sticho aut Tertulliano decem promisisse. Postea apparet, Tertulliani personam stipulatione non suisse comprehensam. Quaerebatur, an repeti possent decem, quae Tertullianus acceperat, quasi indebita soluta. Placuit, Tullio indebiti condictionem dari, qua repeteret solutum. Si quaeris rationem, haec in promptu est, quod Tertullianus id egisse uidebatur, ut cuni damno Tullii locupletior fieret, qui ipsi decem non spoponderat in stipulatione. Igitur causa Tullii potior habetur, qui de damno uitando laborat.

Eodem iure ueteres usi sunt in speciebus aliis trecentis. Sed opera<sup>e</sup>l pretium uidetur, ut paucas delibemus. Occurrit enim IULIANVS, qui l. 32. §. 1. D. de indeb. condict. in eandem sententiam respondet, et erranti liberaliter succurrat, cum aduersarius DOLO aut LATA CULPA ipsum decepisset. Ecce enim, fideiussor cum Pamphilo, apud quem pro Sticho intercesserat, stipulatus erat, ne ab ipso pecunia prōmissa peteretur. Fideiussor, pacti sui oblitus, soluit pecuniam Pamphilo, a quo, exceptione pacti de non petendo, tutus esse potuisset. Pamphilus contra bonam fidem accipit pecuniam, quam fideiussor exsoluit. Proponebatur, utrum repetitioni locus esse uideretur. Placuit, conditionem fideiussori dandam esse, qua solutum repeteret, ne alter aliquid cum damno eius, contra bonam fidem, retineret

Huic disputationi non absimilis est species, quam PAVLLVS l. 12. D. de Nouationibus tractauit. Plotius Apuleium, debitorem quandam suum, Florentino delegauit. Sed Apuleius nihil Plotio debebat, cum doli mali exceptione

ptione aduersus Plotium se tueri posset. Sed Apuleius, OBLITVS exceptionis suaे et FACTI PROPRII, per IGNORANTIAM Florentino solutionem promiserat, cum a Plotio, tanquam uerus debitor delegatus esset: postea etiam exsoluerat promissum Flerentino. Tractabatur, Apuleius a Florentino au a Plotio condictione posset repetere, quod exsoluisset. PAVLVS respondit: nihil posse repeti a Florentino, qui suum accepisset: sed a Plotio restituendum esse, quod Apuleius exsoluisset. Quod habebat rationem, cum FLORENTINO NULLA CULPA imputari posset, qui scire non poterat, quid actum esset inter Plotium et Apuleium. Igitur, aduersus Florentinum innocentem non audiendus erat Apuleius, qui IGNORANTIAM FACTI PROPRII, cum summa NEGLIGENTIA coniunctam, allegabat. Sed Plotius omnino tenebatur, qui DOLO malo, aut certe summa NEGLIGENTIA Apuleium, exceptione tutum, tanquam debitorem Florentino liberationis caussa delgauerat, ideoque de Apuleio conqueri non poterat, qui indebitum solutum, quamvis obtenu IGNORANTIÆ FACTI PROPRII, cum summa ipsius negligentia coniunctae, ab ipso repetebat.

Ex his intelligetur, IGNORANTI FACTVM PROPRIVM succurri aduersus illum, qui et ipse DOLI uel CULPÆ LATÆ accusari posse uideatur. Sed in aliis negotiis, in quibus sibi DILIGENTIAM debent contrahentes, non credo audiendum esse aduersar'um, qui ob IGNORANTIAM FACTI PROPRII, a SVPINA NEGLIGENTIA profectam, auxilium iudicis imploret. Vna enim huius erroris excusatio superest, si quis se, SINE CULPA SVA, facti proprii oblitum esse comprobaret. Quod quibus modis fieri posse uideatur, diligentius trademus.

## VII.

IGNORANTIA FACTI PROPRII  
EXCVSATVR  
PROPTER DEBILITATEM MEMORIAE  
ILLAMQUE NATVRALEM  
AVT MORBO ALIQVO CONTRACTAM

**I**GTVR expediemus, an quis SINE CVIPA et supinae NEGLIGENTIAE turpitudine aliquando uideri possit FACTI PROPRII OBLITVS esse. Enimuero, si SENECAE a) fides est, memoriam et recordationem praeteriti temporis ex omnibus animi facultatibus in primis FRAGILEM et DELICATAM nobis natura attribuit, ut leui aliquando et fortuita offensione perturbetur. Certe LVCRETIVS b) testatur, qui PESTE laborauerint, OBLIVIOSOS et rerum omnium immemores fuisse

- - quosdam cepere OBLIVIA RERV<sup>M</sup>  
CVNCTARVM, NEQVE SE POSSENT COGNOSCERE

VT IPSI

Sed hos apparet, SVI SVORVMQVE sine dedecore OBLITOS. Enimuero etiam posteri fidem dictorum agnouerunt. IOANNES SCHENCKIVS enim auctor est, c) Antonium quendam Senensem morbo subitario correptum, donec uenter ipsi fluere inciperet, et bilem uiridem deiceret, ita rerum omnium OBLITVM, ut ne rerum quidem nomina seruaret. Idem fere in aliis, qui FEBRIA CVTA, uel SICCITATE debilitati fuerint, uel nimia neruorum et INGENII CONTENTIONE infirmati, obseruauit, quos ipse narrat uisfos quasi REVERASCERE, et imperitos esse, et omni rerum praeteritarum recordatione et imagine carere. d) Fama est, etiam

BAM-

a) Senec. in Proem. Controverf.

b) Lucret. L. VI de Rer. Natur. circa finem.

c) Ioann. Schenck. de Capite humano obseru. 115. p. 150.

d) Id. ibid. obs. 116. et 117.

BAMBAM illum, Gothorum aliquando ducem, cum uenenum ipsi propinatum diceretur, usū MEMORIAE exutum prioris temporis non recordari potuisse. a) Sed nolim aliorum loculos excutere

Illud meretur obseruari, quod VALERIUS MAXIMVS b) commemorauit, Athenis aliquando uirum, in literarum studio diligentissime uersatum, ICTV LAPIDIS capite percussum, cum aliarum rerum commode recordaretur, literarum omnium memoriam deposituisse

De ANTONINO CARACALLA SVIDAS c) memoriae reliquit, ita ipsum corporis exercitatione uirtutem mentis fregisse atque perturbasse, ut LITTERARVM OMNIS-QVE DISCIPLINAE OBLIVIS CERETVR. Quod, ne quis inauditum et plenum miraculi existimat, C. PLINIUS d) exempla plurima congesit, quibus comprobauit, VIM RECORDANDI omnino fragilem, et morborum iniuriis, multisque casibus ita esse obnoxiam, ut quidam e tecto prolapsus matris et assium et propinquorum, et MESSALA CORVINVS SVI ETIAM NOMINIS oblitus sit, quasi omnium rerum memoria in eius animo penitus deleta. Non uacat, in re nota et tralatitia diligentius conquirere exempla. Veius maxime IOANNIS SLEIDANI inter multos miseratio me subit, qui, cum ipse memoriam temporum cum cura singulare tradidisset, postea, non sine ueneni suspitione, rerum omnium memoriam in animo oppressam esse sensit, ut ne liberorum quidem, et quo nomine illorum quemque appellaret, neque uxor, nec familiae recordaretur

D 2

In

a) Id. obs. 119.

b) Val. Max. L.I. c.8. de Miracul. n. 2. inter externa.

c) Suidas, Αυτωνος p. m. 314. ἐκ ταται τροπον την ισχυρην, την δε πιστευειν, ας, ως εὖ το σομα αυτης αληκους, επειδητο.

d) Plin. Hist. Nat. L. VII. c.24.

In tanta fragilitate generis humani, IGNORANTIAM illius PROBABLEM qui, dicemus, debilitate naturae, et casu repentina ita se perturbatum esse comprobavit, ut temporis praeteriti, et FACTI SVI, maxime ANTIQVI, memoriam deposuisse uideatur

Enim uero hoc debilitatis sensu, homines conditionis suae admonentur, ut desinant de uirtute sua gloriari; et, cum diuinus ille spiritus, quo reguntur, si fragilis corpusculi ministerio usque partis minimae quandoque careat, confessim elanguescat, et deserueat, et perturbetur, discant aliquando, fragilitatis suae meminisse, et praeclarum hunc diem, quo ad illud diuinum animorum concilium coetumque proficiisci, atque ex hac turba et colluione discedere poterunt, animo forti et constanti exspectare a)

Certe cogitatio humanae conditionis iudici suadet, ut a poena negligentiae maxima et dissolutae, quam solam PAVLLVS atque VLPIANVS l. 9. §. 2. et l. 6. D. de Iur. et fact. ignorant. omnino reprehendunt, illos absoluamus, quos per uim maiorem fractos et debilitatos ex MEDICORVM imprimitis iudicio intelligetur

### VIII

EXCVSATVR

QVI FACTI SVI SED ANTIQVI

OBLITVS EST

INPRIMIS SI FACTVM SVBITARIVM FVERIT  
ET EXIGVI MOMENTI

**I**GTVR apparet, dari ueniam ERRORI, si turpitudo svinae NEGLIGENTIAE PRAESUMTione quadam, aut idonea PROBATIONE, elidatur. Sed ipsa FACTI ANTIQVITAS et temporis elapsi DIVTVRNITAS MEMORIAM et recordationem rerum antea gestarum sine sensu fere

a) Cic. de Senect. c. 23.

fere frangit et extinguit: ut videamur in sola etiam antiquitate et diuturnitate temporis excusationem quandam ignorantiae et OBLIVIONIS inuenire. Ipso enim LAXAMENTO temporis et successione rerum aliarum memoria subinde quasi OBRVITVR, ut recordari temporis superioris comode non possit. Apud PAPINIANVM quidem l. 44. pr. de *Acquir uel amitt. possif.* extat eiusmodi species, in qua homini peregre profecto, qui pecuniam, custodiae cauſa, in terra condiderat, ignoscetatur, quamuis reuersus locum thesauri conditi MEMORIA repetere non posset. Sed PAPINIANVS quidem, si CATONEM MAIOREM et M. TULLIVM iudicem adhibuisse, hominem repellere omnino potuisset. Ille enim se non audiisse, ait, quemquam seruum facile OBLITVM, QVO LOCO THESAVRVM OBRVISSET. a) Sed aliter ICTO uisum est, qui cum proponeretur, utrum senex ille, qui locum thesauri conditi memoria repetere non posset, pecuniam SEPVLTAM POSSIDERE desiisset, respondit, INFIRMITATEM MEMORIAE dampnum possessionis homini obliuioſo non afferre, ideoque non peremptum esse ius POSSESSIONIS. Quod habebat rationem, cum probabile esset ad fidem, peregre profecto per tempus longius multa accidisse, quae memoriam loci, atque FACTI ante annos plurimos ab ipso perpetrati, potuerint obruere et in animo defere. Ita etiam IULIANVM accipio, qui l. 37. D. de *Condit. indebit.* dominum excusat, qui oblitus sui dominii, seruum suum, forte fugitiuum, et per tempus longius a se seiunctum, sed iure tamen dominii priori domino deuinctum, per IGNORANTIAM emerat, et, re comperta, pretium a uenditore repetebat

Neque enim inauditum est, aut a fide prorsus alienum, ipsa longinquitate temporis subinde rerum, quamvis antea nobis familiarium, et saepius frequentatarum, in nobis ueſtigia

D 3

a) Cic. de Senect. c. 7.

uestigia imaginesque dilui, et paullatim, sine sensu aliquo, extingui

Itaque dicemus OBLIVIONEM FACTI PROPRII QVIDEM, sed ANTIQVI, non SVPINAM esse, sed excusationem parere, ut DAMNA nostra euitemus. At uero disputatione res non caret, si quaeras, quo demum tempore elapso, factum PROPRIVM, ANTIQVM appellare posse uideamur. Haec enim in talia constanti perpetuaque definitione non omnino comprehensa sunt, ut multum religioni iudicantis permittamus, in temporis antiquitate aestimanda. Sed plerisque quidem DECENNIVM sufficit, ut hoc spatio elapso facti proprii obliuionem excusemus. a) Enim uero ueteres in primis tempus longum DECENNIO stituerunt I. ult. C. de Praescr. long. temp. Hoc elapso, etiam qui NVNDINAS a Principe impetrauerant, si illo iure usi non essent; quasi OBLITI suarum vndinarum, priuilegio excludebantur. I. I. D. de Nundin. Imo uero testatores, post conditam supremam uoluntatem, uita adhuc DECENNIVM emensi, MVTASSE uoluntatem suam credebantur, si coram tribus testibus, quamvis minus solemniter, testati essent, se a priori uoluntate discessisse I. 27. C. de Testam.

Itaque post decem annos tolerabilis OBLIVIO facti proprii uidetur: cum, qui ista excusatione post illud tempus utitur, non iniustam causam erroris habeat, quod defideravit AFRICANVS, ut ignorantiae succurri posse uidetur I. II. D. Pro Empor.

Sed hoc unum duntaxat exceperim, ut facti NON prorsus SVBITARII, sed EGREGII, et NOTABILIS, et cum MAGNO APPARATV ac studio administrati, OBLIVIO non facile post decennium aut tempus longius omnino surreptissime uideatur. Enim uero, que consulto, et toto animo aguntur,

---

a) Menoch. T. III. Conf. 203. n. 42. et Conf. 265. n. 21. Id. de Arbitr. Iud. II. 26. et plures ibi allegati.

tur, et magna uirium contentione perficienda sunt, plerumque altius in animum descendunt, penitusque infiguntur atque ita inhaerent, ut difficulter dimoueri et euelli possint, nisi ex caussa luculenta et insigni haec animo erupta et oppressa esse, comprobetur

Hoc INNOCENTIO III. in mentem uenit, cum de manibus CLERICO illatis, et poena VIOLENIAE aduersus CLERICOS admissae disputaret. Ille enim c. 32. X. de Sentent. Excommunicat. Abbatibus monasteriorum hanc facultatem dedit, ut hos diuinae pacis violatores, facti MEMORIAM NON HABENTES, adeoque facti proprii OBLITOS, mitius tractarent, et damno monasteriis pensato, ab excommunicationis poena, peracta poenitentia, absoluissent, NISI FACTVM GRAVE et NOTABILE fuerit, ut uiolenter contra OBLIVIONEM et IGNORANTIAM negligantis praesumatur. Quae cum ita sint, seremus quandoque, facti ANTIQVI, quamuis PROPRII, OBLIVIONEM, nisi factum NOTABILE et INSIGNE fuerit, quod non facile animo excidere credimus, nisi alia quedam caussa idonea probetur

## VIII

## TOLERATVR IGNORANTIA

SENVM

IMPVBÉRVM

Ex his, quae adhuc disputata sunt, non difficile erit, etiam de SENVUM OBLIVIONE iudicare. Et nolim quidem illorum auctorati detrahere, aut conditionem contemnere, qui sciam, non solum illos, qui ad remos sedeant, aut per foros cursent, aut malos scandant, aut sentinam exhaustant, in nauigando aliiquid agere, sed etiam illum, qui clauum teneat, et in puppi quietus, non illa faciat, quae a iuuenibus administrantur. a) Succurrit enim, quod CALLISTRATVS,

l. 5. pr.

a) Cic. de Senect. c. 6.

I. §. pr. D. de *Iure immunit.* tradidit, Romanos eundem ferre honorem SENIBVS, quem magistratibus, plerumque tribuisse. Neque dissimulare ausim, etiam SENIBVS quandoque INGENIVM manere, modo studium et industria maneat, b) multos etiam in senectute retinere aliquid adolescentuli, c) si uiribus animi, quod CATO apud TULLIVM praecipit, succurrant, et quasi lumini oleum instillent, ne proflus extinguitur. Sed illud tamen ne ipsi SENES quidem facile dissimulabunt, in tanta DEFECTIOne uirium, et eneruatione totius corporis, in laxatione partium solidiorum, in illo frigore, quo partes omnes contrahuntur, ipsam etiam uim mentis et memoriae paulatim elanguefcere, et infirmari, et sine sensu propemodum extingui. Ipse M. CATO, quamuis magnifice de senibus sentiat, tamen MEMORIAM illis MINVI, facetur d) ut, nisi medicinam ingenio adhibeant, quod CAECILIVS dicebat, non raro STVLTI sint, aut CREDULI, OBLIVIOSI, DISSOLVTI. e) Inprimis, si medicos audimus, nullus senibus familiarior morbus est, MEMORIAE DEFECTIOne. f) Quae cum ita sint, et omnium memoria temporum abunde comprobentur, facilius SENIBVS credimus, qui aiunt, se FACTI PROPRII OBLITOS esse, et prioris temporis non recte meminisse

Sed, quandoquidem SENES illi REPVERASCERE dicuntur, in mentem uenit admonere, etiam IMPVBERVM MEMORIAM FALLERE ET FRAGILEM uideri, ut saepius, ne quidem si adoleuerint, de illis, quae in tenera aetate ab ipsis suscepta sunt, satis tuto affirmare posse uideantur

PAPINIANVS enim nihil SCIRE impuberis, et IUSTINIANVS, illos quid uideant, et agant, IGNORARE, crediderunt.

b) Id. ibid. c. 7.

c) Id. ibid. c. 11.

d) CIC. de senect. c. 7.

e) Id. ibid. c. 11.

f) Ioan. Schenck. de Capit. Human. obs. 152. et 155.

derunt. l. 10. D. de Iuris et fact. ignorant. l. 1. C. de Falsa  
monet.

Certe INNOCENTIVS III. facilius impuberibus iu-  
uenculisque facti proprii, illarumque rerum, quas in pue-  
ritia pessime administrauerint, OBLIVIONEM et ignoran-  
tiam subinde credi posse tradit, quam discretis et adultis  
c. 32. X. de Sent. Excommunic. in fine

## X

GRAVITER AEGROTANTIVM  
OBLIVIO

ITEMQVE ILLORVM, QVI OCCVPATI SVNT  
AVT IN MAGNA PERTVRBATIONE  
MENTIS

ALIQVID FECERVNT

**A**DHVc a nobis disputatum est, non excusari facti pro-  
prii obliuionem, nisi suspicio uel DOLI et mendacii  
uel NEGLIGENTIAE sic amoueatur, ut magis miseratione  
dignus sit, qui facti sui ignorantiam allegat, quam ut ne-  
gligentiae aut doli possit accusari. Sed generaliter scien-  
dum est, quae FESTINANTER atque OBITER admini-  
strantur, non facile in animis haerere, sed quanto leuiori  
opera perfecta sunt, quanto minorem contentionem animi  
et uirium desiderarunt, tanto facilius successione rerum  
iliarum deleri atque extingui. Igitur supra obseruatum est,  
facilius cuique credi FACTI SVBITARII OBLIVIONEM;  
quod etiam Pontifex probauit. c. 32. X. de Sentent. Excom-  
mun. Quae si uera sunt, non difficult erit aut anceps dis-  
putatio, si de factis grauiter DECUMBENTIVM et aegro-  
torum iudicemus

E

Hos

Hos enim constat, in tanta AGITATIONE SPIRITVM, et humorum perturbatione, uix supremis digitis attingere, quod faciendum suscepserunt, ut rei uestigium relinqu et INFIGI ANIMO non posse uideatur. Igitur non solum illorum, quae PER MORBVM ab ipsis facta sunt, OBLIVIONEM ipsis facile ignoscimus, sed ne quidem desideramus, ut rerum antea gestarum recordentur: cum et ipsa recordatio et repetitio omnium imaginum, in animo reliquarum, contentionem aliquam virium desideret, quae ab illis frustra exspectatur.

Qua re perspecta generaliter IVSTINIANVS Nou. 18. c. 6. praecepit, ut facilius credamus, illos, qui ex morbo aliquo decumbunt, FACTI PROPRII, eorumque, quae ab ipsis in liberos collata sint, OBLITOS, et tumultu mortis angustiatos, prioris temporis MEMORIAM deposituisse.

Haud multo fecius de illis sentiemus, qui in magna PERTURBATIONE MENTIS aliiquid egerunt. Quandoquidem enim, qui VEHEMENTIVS animo concitati, aut IRA maxime accensi sunt, aut aliis quibusdam furii et stimulis uexantur, VEHEMENTER quidem, et CVM IMPETV, res suas administrant, sed CONFESTIM tamen, atque INCONSULTE, ante quam DELIBERENT, quasi a sensu alienati ad gerendum negotium accedunt; non potest esse obscurum, quae ab ipsis suscepta sint, rerum et factorum, quorum aliud ex alio in illo tumultu nascitur, multitudine confundi, memoriam illorum confessim obrui et in animo extingui. Igitur dicemus, si quid in tumultu et magna agitatione ab aliquo gestum esse appareat, reum facilius ueniam, aut certe mitiorem poenam promereri, qui ignorantiam et OBLIVIONEM illorum allegauerit, quae ab ipso per IMPETVM suscepta esse comprobentur. PRAESSES certe meminit, haud ita pridem ICTOS VITEMBERGENSES

GENESIIS eiusmodi speciem tractasse: Proponebatur, quendam Lucretium diras incredibiles, horrendas dictu, in ipsum illud Numen, quod omnes cum tremore ueneramus, concieisse: Producti erant testes quiunque, qui se diras illas audiuisse affirmabant; sed reum atrocissimis iniuriis multisque incommodis ab aduersario affectum esse, ostendebant, ut uisus sit, cum uerba nefanda euomeret, ab omni sensu alienatus penitus fuisse. Reus pertinaciter negabat, se cuiusdam uel uerbali uel facti meminisse: exhorrescebat ad dirarum mentionem, quae ab ipso prolatae dicebantur: Dei hominumque ueniam et miserationem expetebat. Secundum ea responsum est, admittendum esse reum; ut iureiurando comprobaret, SE NIHIL ILLORVM RECORDARI: quod cum adstantibus sacerdotibus, magna hominum turba confluente, animo erecto et confirmato praeslitisset, poena extraordinaria in ipsum animaduersum est; qui, si peccasset CONSULTO, poenam capitis subire debuisset.

Discebam ab hoc loco, si HOMINES OCCUPATOS et per multa negotia distractos, attigero, qui et ipsi saepius OBLIVIONIS suae ueniam merentur

Neque enim difficulter excusationem inueniunt, qui in magna OCCUPATIONE, ab aliis ad alia transeunt, ut, quae ab ipsis perfecta sint, tenaciter non inhaerescant, sed ipsa uarietate sua et multitudine confestim deleantur. Hoc accidit Caesari AVGUSTO, qui, si litteras scriberet, plerumque litterarum elementa permutabat, et alia pro aliis substituebat, ut breui post, si relegeret, neque quid scriperit, neque quid scribere uoluerit, recordaretur. Hoc enim SVETONIUS TRANQVILLVS a) tradit

Miror etiam, PONTIFICEM MAXIMVM, qui errare non debebat, hoc humanum a se non alienum putauisse,

E 2

sed

a) Suet. uit. Aug. c. 88.

sed professum esse, propter negotiorum multitudinem subinde facti prioris quamvis proprij memoriam in animo extingui. Hac enim excusatione INNOCENTIVS III. usus est, si forte rerum sententia excommunicationis ex ecclesia electum blandius honestiusque salutasset, cum illud non relaxandi caufa fiat, sed per negligentiam, aut IGNORANTIAM, aut OCCUPATIONEM nimiam, ab ipso commisum videatur. c. 41. X. de sentent. excommunic.

JACOBVS MENOCHIVS a) obseruat, ob hanc causam, ex diuersis PRINCIPVM rescriptis, interdum ANTIQIVS praeferrri, MAXIME si de GRATIA et PRIVILEGIO tractetur: cum PRINCEPS, propter summam OCCUPATIONEM et uarietatem rerum incredibilem, prioris rescripti facile oblitus esse censeatur. Hoc ipse Imperator non obscure professus est, l. 4. C. de Emancip.

Sed non minus hoc priuatis accidit quandoque. Recordor, amici cuiusdam Lipsiensis, uiri honestissimi et eruditii, cui illud aliquando obuenit, ut facti proprii, quamuis egregii, conseruit obliuisceretur. Hic iussus erat proximo die ex suggestu sacro uerba ad populum facere, propter casum quendam repentinum. Pridie ab amico inuitabatur, ut disputandi caufa in auditorium publicum ueniret. Amicus meus, HONORIS CAVSSA, quod dicunt Lipsienses, subsellia opponentium occupauerat, conseruit discessurus, ne Praeses ipsum prouocaret ad certamen. Sed accidebat, ut exemplo a Praesde prouocaretur. Amicus meus non nihil hac allocutione perturbatus, oratione compra atque luculenta ueniam petebat, et, longa excusatione uifus, gratulationis officio defungebatur, finita oratione discedebat. Vix pedem auditorio extulerat, cum ipse, qui haec

omnia

a) Menoch. T. IIII. Conf. 350. n. 7.

omnia coram audiueram , illi occurrerem, et me mirari ostenderem, cur in tanta occupatione in auditorium uenissem, et tempus oratione extraxisset. Ille se a me ludibrio haberi, suspicabatur: pertinaciter negabat, se uel uerbum emisisse: Ita prorsus oblitus erat sui. Ego uero instabam, et subridens, cur ipse me ita iudiceret, ex illo quaerebam: me his auribus orationem eius longam atque eruditam audituisse, affirmabam. Tunc uero ipse attonitus, cum illud serio a me dici cerneret, per fidem amicitiae me obtestabatur, ut quid ab ipso dictum factumque sit, ingenue narrarem, cum ipse orationis suae, et quod uel uerbum dixerit, recordari penitus non posset. Idem ab aliis sollicite sciscitabatur. Cum omnes consentirent, et nihil illepidum aut inelegans ab ipso dictum esse testarentur, mirifice perturbatus, sancte affirmauit, et per uaria temporis interualla serio ostendit, se illius orationis, et quid in auditorio gestum sit, non meminisse, sed in illa opinione esse , quod tacitus discesserit ex illo hominum conuentu. Sed ualebat amicus meus, et postero die sacram orationem, approbantibus omnibus, habebat. Atque ita quidem de **FRAGILITATE** humana sentiendum esse existimo

## XI

PROBATIO  
OBLIVIONIS FACTI PROPRII  
MAXIME IN DELICTIS  
EXCVSANDIS.

**V**ENIO ad postremum caput, quod in hunc locum distuli, ut de PROBATIONE huius excusationis breuiter admoneam. Enimuero, ex his, quae disputata sunt, intelligetur, probationem DIFFICILEM uideri, si quis obtendat,

E 3 fe

se FACTI PROPRII OBLITVM esse. Plerumque enim suspicio est, ne per MENDACIVM haec allegentur: cum quod Imperator ait, l. 14. C. de Hered. *inst.* nemo tam stultus uideatur, ut factum proprium IGNORET. Sed ipsi tanto difficilis credemus, quanto magis apparebit, quod necessitas illud mendacium suggerat, ut reus incommodo se liberaret

Igitur dicemus, neque in CIVILI, neque in CRIMINALI caussa, cum de supplicio quaeritur, IVRIIVRANDO illius credi posse, qui dixerit, SE FACTI PROPRII non meminisse: sed repellere illum, qui in ciuili negotio, ob supinam negligentiam et facti proprii turpisimam atque incredibilem OBLIVIONEM, auxilium iudicis et ue- niam exposcat: in delictis uero, quanto atrocius fuerit peccatum, tanto facilius reum TORMENTIS etiam subiici. Hoc enim etiam MENOCHIVS agnoscit. a)

Neque tamen cum illis sentio, qui in ciuili et in criminali caussa reuim PRO CONFESSO habent, qui FACTI PROPRII IGNORANTIAM allegauerit, aut, quod nostri aiunt, NESCIENDO responderit, cum de facto eius proprio disceptaretur. Enimuero in DELICTIS apertissimas probationes exigimus, ut constet, alterum omnino DOLO aliquid fecisse, inprimis, si de POENA CAPITALI, aut GRAVIORI quadam controuersia tractetur. Sed de DOLIO quidem non conuictus est, qui se facti sui non recordari assuerat. Neque facta illa CONFESSIO, quae ex responsione incongrua elicitor, sufficiet ad poenam capitinis infligendam, aut sententiam horrendi carminis dicendam

Itaque eruenda ueritatis duriori remedio utemur, si capitinis reus obliuionem facti proprii obtendar. In DELI-

CTIS

a) Menoch. T. I. Conf. 74. n. 16.

CTIS LEVIORIBVS etiam FICTA confessio subinde condemnationi locum facit, ut in illum QVASI CONFESSVM animaduertamus, qui excusatione ignorantiae utatur

Sed quae adhuc dicta sunt, duntaxat locum inuenient, si nulla cauſa probabilis, si nulla PRAESUMTIO, quam ICti appellant, reo subueniat, ut credi possit, illum uere FACTI PROPRII oblitum esse. Igitur, si forte de facto ANTIQVO quaereretur, et facinus in magna PERTVRBATIONE animi a reo perpetratum uideretur, etiam in atrocibus delictis ad IVSIVRANDVM tanto facilius reum admittemus, quanto certius a DOLO, qui maxime punitur, cauſa etiam FATVA excusat. Enim uero, quamuis non parum absit a FATVITATE, qui FACTVM PROPRIVM ignoret, tamen uidetur audiendus esse, qui EX PROBABILI CAVSSA dixerit, se factum per IGNORANTIAM, et cum nesciret, quid ageret, perpetrauisse. a) Ipſe etiam PONTIFEX ab illa sententia non alienus est, ut in delicto etiam graviori excusatio probabilis ignorantiae et obliuionis admittatur. c. 32. X. de Sentent. Excommunic.

Quae cum ita fint, si CAVSSA quaedam IDONEA OBLIVIONIS, ex his, quae ante adductae sunt, ostendatur, in ATROCIBVS delictis non TORMENTIS, sed IVRIIVRANDO ignorantia probabitur, in LEVIORIBVS etiam non statim reo quasi CONFESSO poena inferetur, sed probatio ignorantiae et iufiurandum rei admittetur, quo SE NESCIERE, quod illud delictum perpetraverit, et si peccauerit, se peccasse per IGNORANTIAM, confirmet. hac enim formula utimur :

Das er nicht wisse, daß er solches gethan, er auch zu der Zeit, da solches geschehen seyn solle, seiner Sinnen nicht

a) Menoch. III. Conf. 148. n. 18. et 38. Id. T. VII. Conf. 614. n. 19.

nicht mächtig gewesen, und nicht gewußt, was er eigentlich vorgenommen.

Sed ita quidem in CAPITALI caussa ius dicere solemus. Neque uero in CIVILIBVS NEGOTIIS confessim reus pro CONFESSO accipiendus est, si se FACTVM PROPRIVM NESCIRE IN LITIS CONTESTATIONE ostenderit, aut cum de facto proprio itarandum est, ad IUSIVRANDVM CREDVLITATIS se admitti postulauerit. Quamvis enim, ut supra comprobatum est, SVPINAE IGNORANTIAE non succurratur; tamen IGNORANTIA SVPINA dici non poterit, quae ex his caussis enata sit, quas supra copiose a nobis accepisti. Itaque cauebunt Aduocati, ne uel ipsi IGNORANTIAM FACTI PROPRII, clientium nomine allegent, nisi cauſam aliquam PROBABLEM obliuionis, ex his, quae a nobis adductae sint, afferant, neque aduersarium confessim pro CONFESSO habeant, qui EX CAVSSA IDONEA dixerit, se factum pro-

prium NESCIRE, et temporis praeteriti oblitum esse:

Cum in his caussis iuriuando CREDVLITATIS  
locus dari posse uideatur.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:govb:3:1-1192015415-058200738-17

VD18

ULB Halle  
007 793 871

3





8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
0  
Centimetres

# Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

DE

# A FACTI PROPRII VM INNOCVA

1741 9622  
11

D. DE CONDUCT. INDEBIT

RAESIDE

LVDOV. CRELLIO D  
EGIS POL. ET PR. ELECT  
T. VICARII, CONSILIARIO AV  
ET NOVI P. P. ORDINARIO  
ALIS ET SCABINATVS ASSESSORE  
RIDICI VITEMBERGENSIS  
H. T. DECANO

A. Q. S. P. EST. CICCI CC XXXI

DITORIO ICTORVM  
DISPV TABIT  
IDERICVS PECKOLDVS  
HENCKENDEBRIENSIS

ITEM BERGAE  
INA EICHSFELDIANA  
MDCCCLVII